

Letter 525: 4 December [1533], Augsburg, Bartolomeo Fonzio to Capito, Martin Bucer and the Strasbourg Preachers

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 156, pp. 805–6, no. 334.

Gratiam et pacem a Domino, etc. Accepi tandem literas a meis Venetis, fratres in Christo observandi, sed sine fide publica. Quam non impetrasse consultius arbitrantur, qui mihi ex animo optime cupiunt. Hortantur nihilominus vehementissime, ut illos nihil moratus invisam, ecclesiae, quae illic Domino est, supra modum commodaturus. Addunt preces, denique imperant, causari multa quae properanti nimis difficile esset recensere; et audita atque intellecta facile possint, cuivis persuadere me nihil temere hic tentare aut aggredi. Oro igitur, ut et vos hanc profectionem meam boni consulere velitis. De qua quum istic essem non nihil cum domino Bucero, carissimo hospite, domino Capitone et quibusdam aliis contuli. Videbantur tum aequo animo laturo, si meos inviserem, modo literis significarem, ne frustra reditum meum celeriore praestolaremini. In animo est redire quamprimum Dei favore licuerit. Interea bone valet et Dominum orate, ut feliciter cadat quicquid pro bono Christianae reipublicae instituero. Bonifacius noster reliqua fusius quum in praesentiarum mihi non licere. Datum Augusta Vindelicorum. Pridie Nonas Decembris.

Dominorum Vestorum servulus,
Bartholomeus Fontius Venetiae

[*Address*]: Reverendissimis dominis ecclesiasticis ecclesiae Argentoratensis Wolphango Capitoni, M. Bucero et reliquis fratribus in Christo plurimum observandissimis.